

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Philippenses Argumentum Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES
ARGUMENTUM

PER
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

Philippenses in prima Macedoniae parte sunt, ut narratur in actis capite decimo sexto, colonia oriunda ab urbe Philippis, dicta a Philippo conditore. Horum metropolis est Thessalonice. Qui quoniam in fide semel accepta perseverant, non admissis pseudapostolis, quibus auscultarant Corinthii et Galatae, merito ab apostolo collaudantur. Ad hos Paulus admonitu spiritus profectus, complures dies apud illos egit, non sine negotio. Nam hic flagris caesus est Paulus, et cum Sila coniectus est in carcerem, quo tempore carceris custos cum tota familia baptizatus est. Hic erat et Lydia purpuraria, quae prima conversa, Paulum excepit hospitio. Hic et milites cognito, quod Romanus esset civis, ultro rogarunt, ut quo vellet abiret, et Christi nomen satis felicibus auspiciis inclaruit. Quin etiam quum Paulus Romae ageret in vinculis, miserunt illi, quae ad vitae necessitatem pertinebant per Ephroditum, quod et ante fecerant, quum ageret Thessalonicae, sicut in hac ipse testatur epistola. Collaudatos
igitur

igitur eos adhortatur, ut perseverent ac proficiant, ostendens gloriandum etiam in afflictionibus, quae ad illustrandum Christi evangelium facerent, se vero vel mortem adeo non horrere, ut optet etiam, si Christo volente contingat. Deinde cum primis hortatur ad mutuam concordiam, quae inter elatos esse non potest, et quo aequiore sint animo, pollicetur Timotheum, atque etiam ipsum brevi ad illos rediturum, interim misso Epaphrodito, qui ex periculofissima aegrotatione convaluerat. Haec agit duobus primis capitibus, nam in tertio confirmat animos illorum adversus pseudapostolos, ad Judaismum ubique sollicitantes, quos canes appellat, operarios iniquitatis, inimicos crucis Christi, et qui ventrem, Dei loco colerent, nusquam apertius in eos stomachatus. Quartum commendationibus et salutationibus occupat, nisi quod monita quaedam obiter admiscet, et Philippensibus pro sua in se munificentia gratias agit. Scripsit ex urbe Roma per Epaphroditum, quum iterum esset in carcere. Nam post primam defensionem rursus in carcerem ductus est, cuius rei meminit ipse in epistola ad Timotheum.

ARGUMENTI FINIS.

IN
 EPISTOLAM PAULI APOSTOLI
 AD PHILIPPENSES
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

1 **P**Aulus ac Timotheus in evangelica functione colle-
 2 gae ac servi Iesu Christi, toti coetui sanctorum, Iesu
 3 Christi nomen integre pureque profitentium, simulque
 4 his, qui christiano gregi praesident, ac ministrant Phi-
 5 lippis. Optamus vobis gratiam et pacem a Deo patre
 6 nostro, et domino Iesu Christo. Ego sane quoties
 7 precibus Deum interpello, id autem facio indefinen-
 ter, nunquam non facio vestri omnium mentionem, si-
 mul et gratias agens, et magnopere gaudens vestro
 omnium nomine, quod haecenus ab initio vestrae pro-
 fessionis ad hunc usque diem, me vestris officiis ac be-
 nignitate sublevando, vos ipsos consortes praestiteritis
 evangelio, precorque assidue, ut istis virtutibus magis
 ac magis abundetis, confidens fore ut Deus, qui ista
 pietatis exordia vobis donavit, quod coepit in vobis,
 perficiat usque ad illum diem, quo adventurus est
 Christus Iesus, praemium aeternum repensurus recte
 factis. Par enim est, ut ita sentiam de vobis, fretus